



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

LIII. De Alternativa in Provincia Aquitaniæ Ordinis Carmelitarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Jan. MDCXCIV. Pontif. nostri Anno Quarto.

LIII.

Confirmantur nonnulla Decreta Commissarii Gen. pro Alternativa servanda in Provincia Aquitanie Ord. Carmelitarum.

De alternativa in Provincia Castellæ vide Constit. ed. 1693. Jan. 2. P. 2. edita suere quadam Decreta pro Prov. Portugaliæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 7. Martii
1695. An. 4.

Exordium.

Pastoralis Officii nobis divinitus commissi sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christiani- fidelium, qui è fluctibus sæculi in portum vitæ Religiosæ confugerunt, uberesque bonorum operum fructus in Ecclesiam Dei assidue proferre satagant, curam gerentes, ea, quæ pro tollendis animorum dissidiis, stabiliendaque inter eos fraternæ concordia provide constituta esse noscuntur, quo firmius semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis Nostri præsidio roboremus.

Causa Decretorum.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior Provincialis, & alii Superiores Provincie Aquitanie Ordinis Fratrum Beate Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quod cum in Provincia præfata, quæ tribus Nationibus constat, plures vigerent controversiæ, pax tandem feliciter affulsit, alternativa Officiorum dictæ Provincie distributione inter easdem nationes introducta; Porro, ut pax hujusmodi firmiter servaretur, nec ulla unquam ratione turbari posset, dilectus filius Angelus a Sancta Teresia Commissarius, & Visitator Generalis dictæ Provincie nonnulla Decreta edidit tenoris, qui sequitur, videlicet.

A Commissario Gen. condita fuere.

§. 2. Frater Angelus a Sancta Teresia Exprovincialis, & Diffinitor Carmelitarum Provincie Vasconie, ac Commissarius, Visitator, & Præses Capituli Provincialis in Provincia Aquitanie, dilectis nobis in Christo RR. PP. Provinciali, Diffinitoribus, Prioribus, ac reliquis ejusdem Provincie cujuscumque sint qualitatis, & gradus Religionis salutem.

Refertur institutio alternativæ inter Arvernos, Lemovicenses, & Tolosanos.

§. 3. Cum Rmo Patre de Villalobos Generali nostro vigilantissimo, ex quo ad supremum Ordinis fastigium evectus est, nihil magis in votis fuerint, quam V. istius Provincie Aquitanie tranquillitatem procurare, & in ea exorta quadam dissidia non tantum sedare, sed etiam omnem earum causam, & occasionem auferre, ac penitus eradicare; cumque animadverterit, ea omnia dissidia, lites, controversias, turbas, & scandala, ad disciplinæ, morumque relaxationem, quæ a multis jam annis in dies semper accrescens, proximum Provincie V. casum minaretur ex eo ortum ducere, quod hæc vestra Provincia ex tribus Nationibus, & distinctionibus, genio, & moribus omnino diversis, ac etiam repugnantibus constet, quarum una, dum regimen Provincie obtinet, aliis duabus ita dure imperitat, ut ea imperantis durities, in aliis ambitionem excitet, illæque variis, ac illicitis sæpe modis, neglectæque morum praxi,

hoc fere unum agat, & molietur, ut alterius jugum excutere, eoque excusso, singulæ pariter imperare conantur. Hinc est, quod idem Rmus Ordinis Pater, huic tanto malo efficacem medelam afferre satagens, multis nos mensibus ante Capituli V. celebrationem Commissarium suum, ac Visitatorem in hanc Provinciam V. destinavit, & deinde per suum Decretum die Octobris undecimo Romæ Datum anno proxime elapso, novem complectens articulos, suam nobis Articulo 7. omnem in eum finem auctoritatem, atque etiam Diffinitorii Generalis potestatem qua pollet, atque adeo condendi in Universo Ordine Leges imperit, ut sub benedictio Summi Pontificis omnia Provincie V. Officia, perfecta æqualitate servata in posterum, atque etiam modo distribuenda, procurarem, ut sic nulla distinctio ullam conquerendi causam habeat, aut timendi perpetuam alterius distinctionis denominationem. Cumque æqualem Officiorum omnium V. Provincie distributionem, inter præfatas distinctiones, atque in favorem dignorum ex qualibet in hoc vestro Capitulo Provinciali jam fecerimus, atque ea ratione jam cunctis sopius litibus, quod experimentum vobis notissimum præfati medii vim & efficaciam indubie prodit, & comprobatur; hocque unum nobis superstit modo curandum, ut eadem pax inducta perpetua sit, & nulla valeat ratione turbari, ea de causa opportunum atque omnino necessarium judicavimus, media ad illam pacem conservandam, nempe præfatorum Officiorum distributionem retinere, favore, & præcepto nostro, atque auctoritate firmare, in eum finem sequentia decernendo.

Primo. Ut post Superiores omnes hujus vestre Provincie per successivam mutationem fiant, scilicet, ut Provincialis per turnum modo ex Arvernorum, modo ex Lemovicensium, modo ex altera distinctione, quam tertiam, seu Parlamenti Tolosani vocant, instituat.

Secundo. Ut immediate post Provincialis electionem idem R. P. Provincialis ex altera distinctione Socium sibi assumat, & cum in vestra Provincia tredecim tantum Conventus sint, ut ex ea natione, ex qua in proximo Capitulo Provincialis erit assumendus, quinque eligantur Piores, ex aliis verò singulis quatuor tantum.

Tertio. Ut quælibet distinctio, aut Socium unum iturum ad Capitulum Generale, aut Provincie Custodem suppeditet.

Quarto. Ut ex ea distinctione, seu natione, ex qua R. P. Provincialis assumendus est, unus tantum Diffinitor in posterum eligatur, ex ea vero, ex qua Assistent alter, & ex illa tandem unde neque Provincialis, neque Assistent assumendi sunt, duo reliqui Diffinitores assumantur.

Quinto. Ut Novitii etiam, ex æquo admittantur, poterit tamen Provincialis in casibus extraordinariis unum, aut alterum pro sua prudentia superaddere.

Sexto. Ut mortuo, vel assumpto aliquo intra Triennium Diffinitore, non qui vota simpliciter plura habuerit in ultimo Capitulo ei succedat, sed ille tantum, qui plura vota inter eos, qui ad eandem cum mortuo, vel assumpto distinctionem spectant, habuere.

Septimo. Ut mortuo, vel assumpto, aut alia ratione absoluto Provinciali, (quod de Assistente pariter intelligendum est) in illius locum ejusdem tantum distinctionis Religiosus substituat: tuncque tunc primus Diffinitor, sed ille tantum, qui cum mortuo, vel amoto distinctionis est Provinciam regat, & tres pariter ejusdem distinctionis Religiosos nominari, & Rmo P. præsentari curet, ut ex illis unum in Vicarium Provinciale assumat

Decreta pro servanda alternativa.

juxta

juxta formam numero sexto Cap. 7. part. 3. Constitutionum præscriptam.

Octavo. Ut mortuo, vel assumpto, aut amoto aliquo intra Triennium Priore; alter etiam ejusdem distinctionis à Diffinitorio, aut Provinciali subrogetur, itaut illa electio, ut, & cæteræ electiones Prioris aliter factæ, eo ipso irritæ sint, ut si nulla distinctio, sive in Diffinitorio, sive in aliis Officiis, summa cum æquitate distributis, alteri prævalere ulla ratione possit.

Nono. Alia item Officia, quæ à Diffinitorio replentur, juxta præfatam aequalitatem distribuantur, velut Lectoratus, Subprioratus, Magister Novitiorum, & Professorum; itaut si quid una natio aliquo Triennio in Officiis indivisibilibus sortita sit, illud sequenti Triennio altera sortiatur.

Et hæc omnia Decreta sub Summis Pontificibus beneplacito sancita sunt.

Exhortatio ad executionem Constitutionum.

§. 4. Cæterum cum ad fovendam pacem politica hæc media sine speciali Dei auxilio non satis efficacia sint, ad illud a Deo impetrandum præter hæc nostra Decreta exactam etiam Constitutionem Reformationis praxis necessariam esse judicavimus, atque adeo omnes Superiores hortamur, ut quæ in eorum officio erga inferiores exercenda præscribuntur, summa cum charitate, & justitia adimpleant. Inferioribus vero enixe volumus commendatum, ut quæ tam sancte circa assistentiam Cleri, orationem mentalem, & mansionem in Cellulis ordinata sunt fideliter exequi curent, Supremo Judici rationem ea de re aliquando tandem exactissime redditori. Datum in Carmelo nostro Albienfi die Maji 17. anni Domini 1693. -- Fr. Angelus a S. Teresa Commissarius, ac Visitator Generalis, qui supra -- Locus † Sigilli, & infra Signatum -- Fr. Saturninus ab assumptione Assistens Admodum R. P. Commissarii, & Visitatoris Generalis.

Approbata fuere a Priore Gen.

§. 5. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Decreta hujusmodi, reservato desuper nostro, & hujus Sanctæ Sedis beneplacito, ac cum approbatione dilecti pariter filii moderni Prioris Generalis dicti Ordinis facta fuerint; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio relatorum Decretorum.

§. 6. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum filium modernum Vicarium Generalem dicti Ordinis super præmissis audiverant, consilio, Decreta præinserta a memorato Angelo Commissario, & Visitatore Generali, ut præfertur, edita, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervernerint, supplemus.

Clausula.

§. 7. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectively inviolabiliter observari: Sic

que in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictorum Ordinis, & Provinciæ, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, & præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorum sub Annulo Piscatoris die VII. Martii MDCXCV. Pontificatus Nostri An. Quarto.

Conceditur Congregationi Discalceatorum Hispaniæ Ord. SS. Trinit. Redemptionis Captivorum facultas sibi eligendi Judices Conservatores.

LIV.

Hæc facultas concessa fuit toti Ordini à Nicolao V. anno 1447. & ab aliis Pontificibus. Hujus Pontificis Const. ed. 1693. Jan. 27. P. 2. privilegia aliorum Regularium. Et Clem. XI. Constit. edit. 1703. Nov. 21. P. 3. præd. Discalceatis conceditur facultas utendi Altari Portatili, & absolventi a Casibus reservatis in locis Infidelium.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 25. Apr. 1695. An. 4.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus a Jesu Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod cum alias nempe anno 1447. fel. record. Nicolaus Papa Quintus Prædecessor noster Fratribus dicti Ord. Regnorum Castellæ, & Legionis Privilegium eligendi sibi Judices Conservatores concesserit, ac subinde alii Romani Pontifices Prædecessores pariter nostri Fratres prædictis in aliis Regnis, & Provinciis degentibus idem privilegium attribuerint, privilegii hujusmodi, necnon communicationis privilegiorum, quibus alii Ordines Mendicantes fruuntur, Ordini prædicto per Sedem Apostolicam concessa intuitu, Congregatio tunc existentium S. R. Eccl. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad Fratrum ipsius Ordinis preces declaravit licere eis continuare in quasi possessione Juris deputandi Judices Conservatores pro Conventibus ejusdem Ordinis ubicumque existentibus, postmodum vero, nempe die 10. Septembris 1660. Congregatio tunc pariter existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Ordini Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum vigore communicationis dictorum Privilegiorum ei per Sedem prædictam itidem concessa Jus eligendi sibi Conservatores pro suis Conventibus etiam competere per suum Decretum desuper editum similiter declaravit, Decretumque hujusmodi rec. mem. Alexander VII. etiam Prædecessor noster per quædam suas in simili forma Brevis subinde expeditas Literas confirmavit.

Hoc privilegium concessum fuit diversis temporibus toti Ordini, necnon Ord. B. M. de Mercede.

§. 1. Cum